Universitäts- u. Landesbibliothek Halle/S.
Morbio 21 (81)

In nomine domini Anno a natiuitate eiusdem . Millotrecentesimononagesimonono Indictione septima die mercurij octauo mensis Januarij . Venditionem et datum ad proprium liberam francham et
absolutam ab omni ficto censu condicione prestatione fuctum et onere alicui persone dandis prestandis faciendis seu etiam substinendis Fecit et facit Indiolus cattaneus filius quondam domini
Guillini dicti Sirioldi habitans in burgo Trizio diocesis Mediolani . domino Ambrosio Manzie filio quondam domini magistri Alexij Ciuitatis Mediolani porte Cumane parochie sancti Protasij in
campo intus ibi presenti ementi stipulanti et recipienti . Nominatiue de pecia vna buschi iacente in territorio dicti burgi vbi dicitur ad montexellum Cui coheret ab vna parte Monasterij
sancti Benedicti pontide que appellatur in porterana ab alia via ab alia heredum quondam Tamini Machadini et ab alia heredum Fantolij de Cremascho de Trizio et est pertice nouem
vel id circha et siue plus siue minus esse reperiatur quod sit et remaneat in presenti venditione Saluo tamen et reseruato quod si erratum foret in predictis coherentijs vel aliqua vel aliquibus earum
quod propterea non noceat veritati nec veris coherentijs Sed semper stetur et stari debeat veritati et veris coherentijs . Item de omnibus accessibus, axijs ingressibus et regressibus vsibus vtilitatibus
comoditatibus Juribus et actionibus vniuersis dicte petie buschi vendite et dicto venditori pro ea et eius occaxione pertinentibus et spectantibus adiacentibus et competituris in integrum . Eo tenore
quod decetero dictus dominus Ambrosius emptor cum suis heredibus et cui et quibus dederit habeat teneat gaudeat et possideat dictam petiam buschi venditam et in ea et de ea vtilitatem
suam faciat et facere possit et debeat quicquid voluerit et sibi placuerit sine dicti Indioli venditoris eiusque heredum et cuiuslibet alterius persone contradictione . Cedendo dando
atque mandando et cessit dedit atque mandauit dictus venditor dicto emptori ibi presenti stipulanti et recipienti omnia Jura omnesque actiones vtilles et directas realles et personales
mistas atque ypotecharias et exceptiones replicationes vsus rationes retentiones et deffensiones et alias quascumque eidem venditori quocumque modo et iure competentes et competentia
et competituras et competitura et que eidem venditori competere pertinere et spectare possent in et super dicta petia buschi vendita et eius Juribus et eius occaxione . Et hoc contra datores
suos et datorum suorum datores eorumque fideiussores et eorum heredes res et bona et detentores et possessores bonorum rerum et iurium suorum que fuerunt sunt aut erunt et contra quascumque
personas res et bona et bonorum et rerum possessores et detentores pro ea et eius occaxione Ipsumque emptorem missum et procuratorem in rem suam fecit et constituit dictus venditor
et eum in eius locum Jus et statum posuit et dimisit et ponit et dimitit et ita vt exinde per omnia et modis omnibus ipse emptor in eius venditoris locum Jus et statum sit et
succedat et esse et succedere debeat de et pro predicta petia buschi superius vendita et eius Juribus et eius occaxione . Et volens dictus venditor plenum dominium et plenam possessionem
dicte petie buschi vendite in eum emptorem transferre dare et relinquere Constituit ipse venditor se dictam petiam buschi venditam nomine dicti emptoris et pro eo tenere et
possidere quibus dominio et possessioni ylico renuntiauit et in eum emptorem transtulit dedit desiuit et dereliquit volens eum emptorem de et pro predicta petia buschi vendita
verum facere et constituere possessorem . Ad hec dictus venditor promisit et guadiam dedit et se et omnia eius bona mobilia et ymobilia presentia et futura etiam supelectilia
domus et ea omnia que aliaxe verisimiliter non cadunt nec veniunt in generali obligatione pignori obligauit dicto emptori ibi presenti et stipulanti quod semper et omni tempore
deffendet et guarentabit auctorizabit liberabit et desbrigabit et liberam tradet ipsi emptori eiusque heredibus et cui et quibus dederit dictam petiam buschi superius venditam
ab omni persona communi collegio et vniuersitate et ab omni ypotecha et iure in forma Communi et secundum Jus et prout Jus et natura talis et huiusmodi contractus postulat
et requirit et prout verus venditor tenetur vero emptori . Et item ab omnibus fodris tallijs muneribus condictis et oneribus impositis et decetero imponendis et que eidem emptori
peterentur in et super dicta petia buschi superius vendita pretextu causa et facto dicti venditoris et cuiuslibet alterius persone cuius dicta petia buschi sic vendita diceretur
hinc retro fuisse in toto vel in parte . Et hec omnia eius venditoris proprijs expensis dampnis et interesse et sine expensis dampnis et interesse dicti emptoris . Et quod tradet
ipsi emptori vachuam et expeditam possessionem et tenutam dicte petie buschi vendite quam etiam intrandi et aprehendendi et deinceps retinendi sua auctoritate propria
ipse venditor eidem emptori plenam parabolam et licentiam dedit et concessit et liberam potestatem . Et quod non veniet contra presentem venditionem ratione nec occaxione
minoris pretij nec aliqua alia ratione nec causa de iure nec de facto . Et quod reddet et restituet ipse venditor ipsi emptori omnes expensas et omnia dampna et interesse
quas et que ipse emptor patiet et faciet pro predictis et occaxione predictorum . Quam quidem venditionem et quod datum et que omnia et singula fecit et facit dictus
Indiolus venditor dicto domino Ambrosio emptori ibi presenti stipulanti et recipienti pro pretio et mercato facto et conuentato inter eas partes ad computum et rationem
florenorum duorum auri bonorum et iusti ponderis pro qualibet perticha dicte petie buschi vendite quos quidem florenos duos auri dicti pretij pro qualibet perticha vtsupra dictus Indiolus
venditor ad petitionem instantiam et requisitionem dicti emptoris ibi presentis instantis et requirentis Confessus fuit et contentus et confitetur se recepisse et habuisse
et sibi datos solutos et numeratos esse a dicto domino Ambrosio emptore pro plena completa et integra solutione et satisfactione pretij dicte petie buschi vendite .
Renuntians dictus venditor exceptioni non receptorum et non habitorum dictorum denariorum dicti pretij et spei future receptionis et numerationis et non facti huius instrumenti
venditionis et predictorum et infrascriptorum omnium et singulorum non sic actorum et factorum et omni probationi et deffensioni in contrarium . Et item renuntians dictus venditor
quod non possit vllo tempore opponere dicere nec allegare se deceptum fore in dimidia et vltra dimidiam iusti pretij Et si quo tempore predicta petia buschi
superius vendita pluris seu maioris pretij dicto pretio pro quo vendita est vtsupra esse reperietur extunc prout extunc dictus venditor sponte et voluntarie
et per pactum expressum fecit et facit dicto emptori ibi presenti stipulanti et recipienti confessionem finem quietationem liberationem absolutionem remissionem
et pactum perpetuum de vlterius non petendo nec agendo de et pro dicto pluri seu maiori pretio quod esse et vallere reperietur vtsupra etiam certificatus dictus venditor
dictam petiam buschi venditam esse melioris et maioris pretij et valoris dicto pretio pro quo vendita est vtsupra . Que omnia et singula fecit et facit dictus venditor Ita
et eo acto et dicto quod possit ad predicta omnia et singula semper et omni tempore vbique et sub quolibet Judice et causarum auditore realiter et personaliter conueniri
si agi contingeret occaxione predictorum . Renuntiando causis collatis et collatandis ferijs ordinarijs solempnibus et repentinis et cuilibet Juri dicto earum Et quod
pro predictis aut aliquo predictorum dare nequeat in solutum aliquid aliud quam bonam pecuniam numeratam . Renuntiando omnibus statutis et ordinamentis prouisionibus
et reffomationibus factis et fiendis in contrarium . Et constituit dictus venditor se tenere et possidere omnia eius bona res et iura nomine dicti emptoris et pro
eo Ita quod sibi liceat vbique inuenerit de bonis rebus et iuribus dicti venditoris sua auctoritate propria et sine strepitu banno et nuntio seu precepto aliquo et absque licentia
et parabula alicuius Judicum et eum eis probare pro vim aufferre contestare occupare capere et detinere possessionem corporalem intrare et aprehendere vendere
et alienare et in solutum accipere et retinere donec sibi de predictis omnibus et singulis fuit integre satisfactum nec ob hoc dicere nec allegare possit sibi [illegible]
vel violentiam factam fore . Renuntiando omni accusationi et deffensioni in contrarium quibus omnibus et singulis expresse pacto speciali renuntiauit [illegible]
Actum [illegible] porte Cumane in [illegible] ad gallum in stationa notarie mei notarij infrascripti presentibus Honriginio de Strizana filio quondam domini
Albertoli porte none parochie sancti Andree ad pusterlam et Francischino de Inzago filio magistri Ambrosij porte Romane parochie sancti Steffani in brollio
notarijs [illegible] pro notarijs . Et Maffiolo de Cerro filio quondam domini Maffioli [?] habitatore suprascripti burgi Trizij noto [?] Pergamino de Horebonis filio quondam
Zambelini simili habitatore suprascripti burgi Trizij et Rolfo de Cimixello filio quondam domini Johannis porte horientalis parochie sancte Babille foris . Omnibus testibus notis
ydoneis vocatis et Rogatis .

(S.T.) Ego Gabriel de Cermenate filius quondam domini Dionisij publicus Imperiali auctoritate notarius Ciuitatis Mediolani porte vercelline parochie sancte Marie ad portam .
Rogatus tradidi scripsi et subscripsi

(S.T.) Ego prenominatus Honriginus de Strizana notarius predictis pro notario interfui dictum et [illegible]

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1854431072-11

1399 . 8 January

Venditio facta p Andriolum cattaneum [illegible] Ambrosio de gramz[illegible] p petia una buschi

Morbio 21
(81)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1854431072-11